



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Propositio Decima. Vera est Christiana Religio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIO DECIMA.

Vera est Christiana Religio.

Defin. 1. 7.

PAUCIS verbis concludetur ista Propositio. Religionem Christianam eam esse definivimus, quæ Jesum Nazarenum Messiam esse statuit, & quæcunque in Libris sacris, sive Veteris, sive Novi Testamenti, de eo scripta sunt, pro veris habet. Probatum est autem superiori Propositione Jesum Nazarenum esse Messiam, & quæcunque in Libris sacris, sive Veteris, sive Novi Testamenti, de eo scripta sunt, vera esse. Igitur Christianæ religionis fides circa res veras solum versatur, prorsusque ei convenit quinto loco allata à nobis Definitio, qua statuimus Religionem veram eam esse, quæ res solum veras ad credendum propositas habet. Unde exoritur consecrarium hoc, veram esse Christianam religionem. Quod erat probandum.

Π Ο Ρ Ι Σ Μ Α.

Religiones omnes, præter Christianam, falsæ sunt & impiæ.

A. 4. 11. 12.

Gal. 1. 8. 9.

1. Tim. 2. 5.

SI vera est Christiana religio, & res solum veras ad credendum propositas habet, ut definivimus, ex iis utique rebus una hæc est, solam Christianam Religionem esse veram, reliquas omnes falsas & impias. Palam id & libere coram Principibus Judæorum profatus est Petrus, cum de Christo sic diceret: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Eandem doctrinam Paulus Galatis tradidit: *sed licet nos, aut Angelus de celo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Eadem & Timotheum docuit: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Verum igitur est Religiones omnes, præter Christianam falsas esse & impias. Quod erat probandum.

S U M M A

DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ.

NUNC vero totam hanc Demonstrationem in pauca contractam æqui Lectoris ponamus ob oculos, ut uno intuitu perspectam & comprehensam suis queat momenti perpendere. Libri Novi & Veteris Testamenti iis temporibus scripti sunt, quibus feruntur esse scripti, & ab iis scripti, quibus tribuuntur. Hinc sequitur totam Jesu Nazareni historiam, in Veteri Testamento longe ante prædictam esse, quam eveniret in Novo. His porro concessis, libros nimirum Novi & Veteris Testamenti iis temporibus esse scriptos, quibus feruntur esse scripti, & ab iis scriptos, quibus tribuuntur, & Prophetias Veteris Testamenti de Jesu Nazareno, completas esse in Novo, consequens est veraces esse libros Novi & Veteris Testamenti. Quod si Prophetiæ Veteris Testamenti de Jesu Nazareno, completæ sunt in Novo, & veraces sunt libri Novi & Veteris Testamenti, ex eo efficitur Jesum Nazarenum esse Messiam. Quo posito, veraces nempe esse libros Novi & Veteris Testamenti, & Jesum Nazarenum esse Messiam, fatendum omnino est veram esse Religionem Christianam. Arctius adstringi non potest ratiocinatio hæc, totaque ita conferta est & contexta, resque aliæ ex aliis nexæ & inter se aptæ colligatione necessaria coherent, ut nullis divelli argumentis, ratione nulla labefactari queant, nec assensum Lector possit abnuere: præsertim si animum hic adhibeat studiosum veritatis, non contumacem, tantumque his adjungat fidei, quæ à nobis demonstrata sunt, quantum aliis rebus solet adjungere, quæ paris roboris rationibus nituntur. Atque id nos postulavimus ab initio Operis hujus, & impetraturos speravimus.

EPI-